



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

36. Domin. 3. post Trinit. de oue perdita. Luc. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

78 MEDITATIONES IN

stant autem se ab hac cœna superbiæ, auaritiæ, & luxuriæ dediti, id est omnes, propter hæc & similia peccata indigni. Admitte intur autem humiles, qui peccata sua cōfitentur, & vitæ emendationem diuinæ auxiliante gratia proponunt.

DOMIN. III. POST TRINIT.

De oue perdita. Luc. 15.

1. **P**harisæi & Scriba murmurabant contra Iesum, quod recipere peccatores & manducaret cum illis. Considera summam caritatem Christi, quod nullū peccatorē quantumuis maxima iniuria ab eo affectus sit cōtēnat. deinde ad se per pœnitentiam benigne recipiat: receptum etiam ad mensam suam admittat, & cibo corporis & sanguinis sui, velut carissimū, ac cui intime deinceps velit adhærere, reficiat. 2. cōsidera malitiam Pharisæorum, qui bonitate Dei. & aliorū bono exemplo facti sunt peiores: vt discas ingenium mundi esse, murmurare & detrahare piis, si quid boni agant, eosq; irrisiōibus, aliisque modis impedire.

2. *Quidam oue vna ex centum perdita imponit eam inuentam humeris, & alios ad gratulandum sibi inuitat. Idem facit mulier de drachma vna ex decem perdita & inuenta. Considera*

sidera, 99. oues esse nouem choros angelorum, quia superant numerum hominum: ouem perditam autem esse hominem, quā Christus inuentam, quando incarnatus est, imposuit humeris, portans iniquitatē omnium nostrum. & in cruce expians. Adde tantam fuisse eius caritatem, vt pro te solo perduto paratus fuerit pati. nam Paulus sic loquitur de eo. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 2.* Considera mulierem illam esse B. Mariam, quæ accensa fidei magnæ lucerna, euertit totam domū animæ suæ, sic vt nullas habuerit peccati sordes, crebrisque precibus pulsans Dei fores tandem inuenit drachmā perditā, i gratiā concipiendi Christū, qui hominē ad imaginē & similitudinē Dei formatū & signatū, liberaret à puluere peccati. Vnde archāgelus dixit. *inuenisti gratiā apud Deum.*

Gal. 2^a

Luc. 2

Mulier inuenta drachma ad congratulandum conuocat amicas & vicinas Dico autem vobis, inquit Iesus, quōd ita gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore poenitentiam agente. Considera B. V. Mariā mox post conceptum Christū per mōtana cucurrisse ad cognatā Elizabeth, illāq; ei cōgratulatā de benedicto fructu ventris, & inuēta drachma 2. cogita, si Christus & mater eius voluit

volunt, vt sibi congratulemur, quando aliquis ad fidem vel bonam vitam conuertitur; si angeli gaudent, qui tamen non sunt eiusdē naturæ nobiscū, quanto magis nos debemus gaudere, cum sit noster frater, eiusdē nobiscum naturæ. 3. considera, ex hac parabola sequi nullum prorsus posse desperare. Si enim gaudent omnes angeli in cælo, si gaudet Deus, ita vt cupiat sibi etiam ab alio congratulari, de conuersione peccatoris, tanquam de inuēto thesauro perditō; qua de causa poterit quis vel cogitare de desperatione?

DOMIN. IV. POST TRINIT.

Estote misericordes. Luc. 6.

- I. **D**IXIT Iesus discipulis. *Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Nolite iudicare & non iudicabimini. nolite condemnare & non condemnabimini.* Considera, hic monita valde salutaria præscribi pro dilectione proximi. Primum est vt in misericordia exercenda erga proximum imitemur patrē cœlestē, qui omnibus ad se clamantibus aures præbet, gratiā largitur, ignoscit, malos & ingratos præuenit, cōuertit & saluos facit: vt sæpe abūdet gratia, vbi abūdauit delictū. Alterū est, nō iudicare illū
i. curo.